



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Stelionis natura cum nequam puero comparatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

dia. Id quod maximè observandum pueris, nisi velint Jambo puero similes fieri.

II. (b) Puer *Iambos* simul contumeliosus, simul blasphemus in Deam fuit. Quod crimen non semel in pueritia graviter punivit Deus. Constat è Dialogis S. Gregorij lib. 4. horrendo supplicio parvulum quinquennem affectum, quem ob dissolutionem linguæ, qua Dei nomen impijs execrationibus laceſſebat, tartarei spiritus, æthiopum specie aspectabiles, è gremio parentis avulsum, in orcum abripuerunt. Nec frustra terribili Alastores è sinu atque oculis paternis rapuerunt puerum. Ostenditur namque impietatem filij, ortum duxisse è nimia patris indulgentia; à quo blandius æquò fovebatur inque sinu & oculis gestatus, æternis pabulum ignibus jam tum paratum, molliter ad inferos ferebatur. Debit os improbum maturè compeſci, & lupato disciplinæ frenari, ne lupis orcinis in prædam cederet; nimirum parentum culpa in filiorum supplicio plectitur. Exerit se primis ab annis indolis sive probitas, sive pravitas. Severius fortasse, salubriter tamen ad exemplum egerunt Areopagita Athenis Judices, qui puerum morte damnarunt, quod crudelius cornicis oculos, stylo confixisset. Timebant scilicet, ne ferox ingenium cum annis cresceret, & savitiam ab avibus in homines transferret: igitur malam herbam in radice opprimendam putarunt. Minores lapillos, hoc est, convitia cum puer in homines assueſcit jacere, paulatim grandiores mittet in Superos, quod ex Diogene paulò ante collegimus. Puer *Iambos* quanquam *effrons*, in fronte tamen indicem sui circumtulit; maculis eam pinxit Ceres, ut appareret in vultu, quid lateret in animo.

III. (c) In *stellionem* mutatus est *Iambos*, est enim hæc bestiola, symbolum pueri malitiosi, versuti, versipellis, mendacis, perversi, & ex asse nequam. Nam ob nequissimi hujus animalculi fraudem, malitiam, invidiamque obtinuit ulus, ut impostores & consuti dolis homines, *Stelliones* vocentur. Hinc *Stellatura* & *Stellionatus*, crimen IGris, cum in contractibus, aut mutuo, aut emptionibus, dolus malus intervenit: ut si quis merces supposuerit alias pro alijs, vel corruperit, aut imposturam fecerit, (quod crimen *falsi*, Germanis *Schelmerey* dicitur) cuique poena nulla ordinaria constituta, sed Prætoris arbitraria est, teste Ulpiano.

Est autem *Stellio* lacertæ species, qui quia ventre humum verrit, denotat

(b) Pueri indulgentius non habendi. (c) *Stellionis* natura cum nequam puero comparatur.

notat pueros inertes, pigros, desides, ventri deditos, in pastum & terram projectos. 2. Stellio lucentibus guttis, seu stellis est, pictus, unde nomen habet; quò indicatur puerorum hypocrisis, dum speciem quandam innocentiae præ se ferunt, & indolem stellis coronandam; cum astutia & nequitia in corde lateat, in orbem ableganda. 3. Stellio suo morsu hominem obstupescit & venenat. Pueri male morati, etiam bonos adolescentes pravis exemplis inficiunt, & quasi stupidos ad parentum & moderatorum monita reddunt. 4. Stellio perreptat aedes, & in ipsis tectis, lectisque, homini insidiatur, verè hostis domesticus. Faciunt idem malitiosi adolescentes, qui per speciem vel exercitij litterarum, vel relaxandi animi, sese in alienas aedes insinuant, & in angulis lusum ludunt, qualem olim *Ismael* cum *Isaaco* ludebat, nempe, quod aliqui SS. PP. exponunt, rei alicujus turpis sermonem inducendo; quod advertens *Sara* parens, postulavit à marito *Abrahamo*, ut *eiciat ancillam Agarem cum filio suo*. Gen. 21. Quòd etiam his puerorum frustis, & nebulunculis faciendum. 5. Stellio pellem hieme exiit, quam, quia homini, utpote morbi comitialis remedium, invidet, devoratur ab eo, nisi præripiatur. Significatur invidia, quæ non rarò pueriles etiam animos ita occupat, ut æqualium in litteris, aut virtute profectum, non ferentes, mendacijs ac calumnijs eos odiosos reddere conentur. 6. Stellio araneis maximè vivit, ad quarum telas adreptit, & insidiosè captat, capitque. Simile quid in perversis pueris reperitur. Araneus muscas venatur, araneos stellio. Sic pueri perditij & nullius frugis, nullique labori ferio addicti, quid aliud agunt, quàm tempus terere muscis capiendis, quod *Domitianus* ille Romanus Imp. fecisse scribitur. Sed hæc araneorum retia, hæc inquam ignava otia, sunt scopis & virgis deijcienda. Stelliones magnam partem veneni ex araneis sugunt; faciunt hoc improbi pueri, qui malitiam insitam augent è libris & colloquijs impuris, & pestilens virus halitu, quod Stellio facit, innocentibus affricant & aspirant. Atque hæc satis de stellione. Plura de natura hujus bestiolæ *Plinius* lib. 30. c. 10.



T

SYM.